

to nomini infensus, exploratæ victoriae spem vel ignavia, vel malignitate corrupisset, atque disciplinæ navalis, qua Itali florabant, existimationem, per inanem ostentationem, desidi cunctatione, ac fuga dedecorasset.

1538

Verum Neocastrum oppidum, quod Venetorum præsertim virtute captum, Reipublicæ ex foedere debebatur, Hispani occupavere. Nam, Capellio imperatore, ut sibi Veneto milite tutandum concederetur, enixe petente, Auria Joannem Sarmentum cum quatuor Hispanorum peditum millibus præsecerat, nihil, nisi ex Cæsar's præscripto, ac mandatis ea in re decerni a se posse affirmans: cum interim Buduæ, Antibari, & Olchinio sex Hispanorum peditum millium præsidium imponere niteretur, specie, quod Reipublicæ commodo id faceret, ut cum primum anni tempus ad prælia conserenda invitaret, milites in promptu haberet; re, ut ad persolvenda Hispanis stipendia Respublica cogeretur. Iis, quæ ad Neocastrum contigerant, intellectis, Patres vehementer exarsere, quod oppidum, sibi ex foedere debitum, in Hispanorum potestate esset; neque tam impudenter foederis leges fractas, ac violatas fuisse, ferre æquo animo poterant. *Quid enim ab illorum societate expectandum esset, qui, jurejurando neglecto, sociorum præmia sibi adsciscerent? Quisnam ex labore, cæde, periculis fructus maneret? Iniquo nexu Rempublicam detineri, quæ inter potentissimi, atque acerrimi hostis arma, sociorumque inexplicabilem avaritiam, atque cupiditatem collaboreretur.* At cum temporum necessitati parendum esset, Capellio Senatus literis imperatum est, ut Neocastrum repeteret. Hispaniæ quoque, ac Romæ oratoribus in mandatis datur, ut Auriæ factum cum Pontifice, & Cæsare conquerantur; servari jura, & conditio-nes iicti foederis flagitent. Sed jam Auria discesserat. Grimanus legatus Anconem delatus, dimissis triremibus, Romam profectus est. Capellius, qui cum classe adhuc in Rhizonico sinu morabatur, Risanum oppidulum, Ascrivio propinquum, per ditionem recepit; præfidoque militum firmato, Aloysium Zannium præfecit. Inde, ut in Illyrico pedites Itali ad mille & quingentos redigerentur, decretum est; Camillo Ursino, militiæ in ea provincia præfecto, atque Aloysio Baduario legato in Italiam redeundi facultas a Senatu permissa. Qua-

*Andreas
Auria in
Siciliam
contendit.
Joannes
Sarmentus
cum Hispanis
Neocastris ab
Auria relictus*

*Venetorum
indignatio
ob Neocastrum
ab Hispanis
occupatum.*

*Marcus
Grimanus,
pontificæ
classis lega-
tus, Anco-
nem & Ro-
man profe-
citur.*

dra-